

338 *tie praeferit vs Sacramento, non redit sibi jus, & dignitas.*
 Sed quamvis haec ratio satis probabilem suadet hanc partem; non tamen omnino convincit; quia licet talis gratia sacramentalis sit purum donum Dei, upote nobis obveniens ex opere operato, & sine nostris meritis; tamen semel collata fit nostra, non minus, quam caetera Dei dona, qui in nobis dona sua coronat; ergo semper manet in divina acceptance, ut nostra; Tum quia gratia affuitur, & sine ulla probatione, quod quae pendet ex liberali Dei donatione, semel per peccatum amissa nunquam per poenitentiam recuperetur, & sane excellens Dei misericordia suadet oppositum; unde quando ex iustitia non recuperarentur, sicut quae pendet ex nostris meritis; satis pium est credere, quod recuperentur ex Dei benignitate, ut satis aperte colligitur ex parabola poenitentis Lucae 15, superius allata, ubi omnia prorsus filio prodigo restituta leguntur, quae prius habebat, etiam si donata fuerint. Tum tandem quia, ut inquit Suarez, quamvis respectu nostri aliqua dicantur a Deo gratis omnino donari; non tamen gratis donantur respectu Christi; cujus merito omnia debentur; ergo gratia Christi semel nobis ex eius meritis applicata non minus fit nostra, quam gratia, vel ejus augmentum ex meritis propriis nobis collatum, quia merita Christi ex ipsius ordinatione sunt nostra.

349 *Altera vero pars problematis opposita, quod nempe gratia quoque sacramentalis, & quaecunque alia sine nostris meritis collata, restituitur post peccatum, vel in ipso justificatione instanti, vel saltem postea; probatur, a Suarez, Lugo, Beccano, Averia, & aliis Neotericis passim; quia ut dicebamus, illa gratia licet nobis gratis conferatur, & sine nostro merito, datur tamen ex iustitia respectu Christi propter illius merita, quae nobis applicentur in Sacramento; sed merita Christi non sunt minus efficacia, quam nostra; ergo si gratia, quae data fuerat ex nostris meritis, iterum restituitur ablato peccato; multo magis restituetur ea gratia, quae data fuerat ex meritis Christi; Tum quia id patet de Sacramento Baptismi, nam gratia baptismalis, si non fuit data postea fisionis obice, restituitur postea recedente fisione ob effusum meritum Christi applicationem; sic ergo pariter erit de gratia per alia sacramenta collata; & per peccatum perditam, quod sublato peccato reddit. Tum 3. quia culpa remissa maximum adhuc nocumentum inferret, subiret namque hominem perpetuae, & aeternae poenae, scilicet, amissionis tantae gratiae, & gloriae illi correspondentis. Tum 4. quia valde durum, & molestum esset homini, qui aliquando per vehementem contritionem magnam gratiam oblinuerat, vel per diuturnum, & frequentem usum Sacramentorum, si semel in peccatum aliquod mortale labatur, in perpetuum privati tota illa gratia, & gloria illi correspondente, & nunquam amplius eam recuperare posse. Tum 5. quia idem v.g. in Sacramento Ordinis, & Confirmationis gratia conferuntur, ut homo ritè, & benedictionem possit exercere munus sacerdotale, vel profiteri fident, vel aliud ministerium per tale Sacramentum injunctum; ergo ablato peccato talis gratia restitui debet, ne homo per totam vitam privetur fructu illius Sacramenti, cum enim nequeat illa reiterare Sacramento, si non restituatur eorum gratia, suo fructu abatur effectu; imò fructum gratia debet restitui, quia restituitio in fine vitae nihil ad eum finem conducet, ita specialiter arguit Cardinalis de Lugo. Tum tandem in specialia, gratia, & gloria, quae contritioni respondent, debet restitui, quando iterum homo refurgit, quia contritio per illam gratiam formata, facta fuit de condigno meritoria gloriae; ergo si merita revolvunt, & reddenda est gloria illis debita; revolvit inter illa merita eius contritionis, & reddenda est illi sua gloria; ergo praeterea redditur illi gratia, quamvis respectu ipsius gratiae non fuerit meritoria de condigno.*

350 *Nihilominus, quamvis etiam rationes istae hanc problematis partem satis probabilem ostendant, non tamen ita urgent, quin facile solvi possint; Prima namque ratio urget tantum de possibili, non vero de facto, ut etiam notavit Cardinalis de Lugo num. 47. non enim quoties datur nobis aliquid ex Christi meritis, datur cum omni perfectione, & jure, quo possit dari ex eius meritis, quia non vult Christus semper illa applicare cum tota eorum perfectione, & energia, sed cum limitatione, licet ex parte valoris eorum utique possent perfectus applicari: potuit enim illa ita applicare, ut verbi gratia perseverantiam in gratia mereretur, quod tamen non fecit; sic igitur in re nostra potuit applicare sua merita in Sacramento, ut daretur gratia homini illo mediante, & non ut restitueretur post lapsum: quare cum nobis non constet de reali applicatione, quae in argumento asseritur, illam simiter asserere non debemus. Ad 2. bene occurrit Vaquez disp. cit. cap. 7. in fine, vel id esse peculiare Baptismi privilegium inter caetera Sacramenta: vel melius, non valere patrem: etenim Sacramentum applicationem saltem semel suum debet praestare effectum, quem antea*

praestaret, si obicem non inveniret, ut ejus efficacia demonstratur: ut postquam semel hunc suum produxit effectum, nempe gratiam in anima: si postea per peccatum deperditur; nulla est necessitas ad ejus efficaciam salvandam, ut per sequentem justificationem reparetur; semel enim collata gratia per Sacramentum, satis est ejus efficacia demonstrata.

Ad 3. respondet ibidem Vaquez hanc gratiae amissionem, & gloriae correspondentis, non futuram proprie poenam, aut punitionem in patria; sed futuram relictum ex peccato praeterito a quo quasi a causa formali extincta fuit gratia. Haec tamen solutio satisfacere non videtur, quia non alio modo in damnatis carentia gratiae, & gloriae est poena actualis damni, nisi quatenus tunc executioni mandatur effectus, quem peccatum intulit, scilicet, impedimentum gratiae, & gloriae; igitur ex eo, quod amissio gratiae sacramentalis, & gloriae ei correspondentis, sit in hoc sensu effectus ex peccato praeterito relictus, non tollitur tunc adhuc proprie sit aliqua poena damni. Itaque dicendum est, quod poena damni proprie poena est privatio alicujus boni antea debiti, & haec ratione carentia gratiae, & gloriae est poena in damnatis, quia hoc bonum gratia antea eis debitum, quia ratione etiam dicebamus, supra num. 345. quod si gratia praecedentibus meritis debita nunquam restitueretur, esset proprie poena damni; caeterum gratia sacramentalis, ac quae libere alia sine ulla nostris meritis obta, nullo titulo est nobis debita, sed purum Dei donum, ideoque etiam si nostra culpa amittatur, talis amissio est merus effectus ex peccato praeterito relictus, non autem poena damni, quia non est carentia boni antea nobis debiti, sed Dices, quoniam non fuisse superius num. 319. potuisse fieri proprie per modum poenae poenae commisit, ut Deus acceptare amplius nollet merita priora, etiam si homo retrahat; ergo saltem in eo casu sequitur hoc inconveniens, peccatum remissum posse penam privatione aliorum graduum gratiae, & gloriae in aeternum etiam in patria.

Respondeo, ad hoc evitandum inconveniens ibi data opera concessum etiam fuisse, potuisse sic a Deo desinari, & decerni per modum cujusdam conditionis, ut merita non amplius acceptarentur ad gloriam, si homo post illa caderet, ut ibi explicatum est; quibus namque addo ex doctrina allata, quod ablata lege, ac extrinseca ordinatione, qua voluit merita ita accepta, ut reviviscere, ac reparari possent; tunc licet poenitentia careret gratia, & gloria, quae ante peccatum meritis illis debebatur; ablato tamen per poenitentiam peccato, non amplius talia carentia esset illi poena damni, quia tale bonum non esset ei amplius debitum, tale enim debitum praecipue in ea lege fundatur de reparatione, & reviviscencia meritorum, quae ex hypothese supponitur ablata.

Ad 4. hoc non debet homini esse molestum, & durum, quia gratia sacramentalis, & gloriae ei correspondentis, non datur ex ulla nostris meritis, sed ex liberali Dei donatione; sed potius debet esse motivum ad cavendum de peccatis. Ad 5. respondet illud esse effectum tantum secundarium Sacramenti Ordinis, & Confirmationis, non vero primum; quo fructu si priventur homo per peccatum, non ob id Sacramentum frustratur in effectu primario, qui est collatio gratiae in ejus applicatione; neque id ullatenus efficaciam illorum Sacramentorum praedjudicat, quia id evenit ex hominis culpa, non ex defectu valoris Sacramenti, ad quem non spectat reparatio gratiae jam per peccatum deperditae, sed sola gratiae collatio in prima ejus applicatione. Ad ultimum, ob eam rationem concedo, rationabilis esse, quod prima gratia justificans, quae per propriam sufficientem dispositionem obta est extra Sacramento, restituitur per poenitentiam, quam gratia justificans, quae solum confertur ex opere operato in Sacramento, tum etiam quia gratia prima praeserta ad intuitum conditionis, etiam si non cadat sub merito de condigno, adhuc tamen aliquid tunc dicitur mortaliter operari ipsius hominis, quia disponitur ad illam, eamque saltem meretur de congruo.

QUESTIO VNDECIMA.

De augmento justificationis, & gratiae, an fiat per actus etiam remissos, & quomodo.

353 *Sermo est de bonis operibus supernaturalibus in gratia factis; & quidem dubium non est de actu intensiori ipso habitu gratiae, qui existit in homine, esse meritum augmenti; hoc enim omnes Theologi concedunt, quia & omnes habitus, hoc habent, ut per actus intensiores augerentur, ut ex Philosophia suppono; solvitur ergo est difficultas de actibus vel aequalibus habitibus, vel ipso remissioribus, siquidem aiunt Philosophia proportione minoris virtutis actionem non prodire. Cum, ergo bona opera iusti possint quandoque esse intensiora, quam ejus gratia habitualis, quandoque aequalia, ac etiam intantum remissiora v.g. homo iustus habens gratiam, ut quatuor, potest elicere actum charitatis, ut tria, ut quatuor, vel ut quinque jure majore, vel minore efficaciam divini auxilii actualis, & conatus liberi arbitrii, difficultas est, an quolibet actu, etiam aequali, aut remisso, homo iustus mereatur augmentum gratiae, & charitatis, quas hic suppono ex dictis eundem importare habitum.*

354 *In hac celebri controversia plures solent sententiae referri, quae tamen omnes ad tres reduci possunt. Prima sententia absolute negat, asserens gratiam non intendi, nisi per actus ipsa intensiores: ideoque aequales, & rauto minus remissiores non mereri ulium augmentum gratiae, & gloriae, sed tantum premium aliquod accidentale, ut potè majus quoddam gaudium; aut etiam meriti idem premium essentiali antea sibi debitum, & pro merito per actus intensiores, ut nempe novo, & duplicato titulo ei conferatur ob nova merita; & ratio est, quia sicut alii habitus non augentur in intentione per actus remissiores, ita nec habitus gratiae; si vero non crevit gratia, nec augetur gloria, quae commeneratur ipsi gratiae; Quae opinio tribuitur D. Bon. 2. dist. 40. art. 2. q. 3. & D. Th. 1. dist. 17. q. 1. art. 3. & sequitur Bann. 22. q. 2. art. 6. cum quae etiam convenit Durandus 1. dist. 17. q. 8. quoad actus remissiores, non tamen quoad aequales. Secunda sententia docet iustos per omnes actus mereri augmentum gratiae, & gloriae; addit tamen hoc augmentum non conferri in eodem instanti in quo actus illi efficiuntur; ita ferme D. Th. cum ceteris Thomistis par. 2. q. 114. art. 8. ad 3. & 2. q. 2. art. 6. & Scotus cum suis 4. dist. 21. quest. 1. sub F. & dist. 23. quest. univ. art. 2. sub H. Qui tamen discrepant de tempore; quae tale augmentum gratiae conferunt, nam D. Thomas loc. cit. affirmat per actus remissos charitatis etiam in vita charitatem augeri, quando postea habetur actus intensior, inquit enim tunc fieri, cum fuerit rectè dispositus; & ita passim loquuntur Thomistae, praeterea tunc de Caetano, & Capreolo; Scotus vero loc. cit. ait augmentum relevare ad finem vitae, vel in principio gloriae, quod etiam fatetur tenet D. Thomas, quando in hac vita homo iustus non habuerit ferventiorum actum, alioquin tale augmentum nunquam ei daretur; atque ita loquuntur Scotistae passim, ut videtur post apud Fabrum disp. 4. cap. 3. in fine; Omnes vero Doctores, qui putant augmentum non statim dari, ex eo moventur, quod actus respectu habitus proprii, non solum le habent, ut merita, sed etiam in dispositio; ad intendendum autem habitum requiritur intensior dispositio, sicut ad intendendas alias physicas qualitates.*

355 *Tertia tandem, & communis sententia inter Recentiores hoc avo est, unicuique iusto statim atque actum meritorium exercet, quantumvis remissum conferri augmentum gratiae, & eius ad gloriam juxta proportionem singularum actuum, ita Vaquez par. 2. disp. 220. cap. 5. Suarez lib. 6. cap. 3. Coninch. lib. 1. de virtutibus disp. 8. dub. 9. Amicus disp. 35. de merito sect. 8. Calpenis disp. 6. de gratia sect. 11. Torrianus disp. 2. dub. 13. Arriaga disp. 5. sect. 2. Oviedo. contrav. 3. p. 2. q. 4. Averia qu. 14. de merito sect. 19. qui alios citant; quam communem modo sententiam plures etiam amplectuntur ex nostris, ut Corduba lib. 1. quest. 9. Vega super Concilium lib. 6. cap. 26. Almain. tract. 3. moralium cap. 11. & 12. Hiribarnes disp. 2. c. 1. sect. ult. Poncius disp. 36. quest. 8. Vulpes som. 2. par. 3. disp. 57. art. 6. Neque propterea aliquid alienum a Scoti mente docere putant, tum quia hoc ipse significasse videtur disp. 57. quest. 3. dum contra Gostredum disputat de augmento charitatis; tum quia quando loc. cit. in 4. inquit augmentum gratiae non statim conferri actibus remissis, sed congruo tempore, nimirum quando esset specialis necessitas ejus, ut in fine vitae, vel post hanc vitam in principio gloriae; loquitur veluti ex suppositione communioris sententiae, quae tunc temporis vigebat, parum sollicitus de ejus probabilitate, vel improbabilitate: cujus rei evidentissimum signum est, quod illum dicendum nec examinavit, neque probare curat, aut amplius declarare, ut si moris est, sed obiter, & perfunctorie de illo agit,*

veluti illum supponens ex communi sententia, ut inter alios advertit Hiribarnes loc. cit. quod etiam antea notaverat Bargius 1. dist. 17. super quest. Scoti de augmento charitatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resolutio Quaestionis.

356 *Dicendum Primò, iustum per actus etiam remissos, si ceterae adint conditiones, iterari de condigno, gratiae, & gloriae augmentum. Haec est communis Auctorum secundae, & tertiae sententiae contrarium, quam cumulatè probant illi Auctores, praecedendo nunc ab eo, quod gratia detur statim, vel in futurum, de quo dicemus sequenti conclusionis: & Primò quidem probatur ex pluribus, ac evidentibus sacrae Scripturae locis, in quibus sine ulla limitatione talis, vel talis intensio, declaratur, iustum mereri augmentum gratiae, & gloriae per quaecunque bona opera juxta singulorum proportionem, quae valde diligenter, & accurate ab Arriaga praesertim loc. cit. expenduntur; ita clarissimè colligitur ex parabola talentorum, & minarum; quia non ille solum, qui habens unam minam fecit decem, & quiescit quinque, hoc est supra intentionem habituum, quos habebat, sed & ille, qui habens quinque talenta fecit alia quinque, & qui habens duodecim duo, acceperunt a Deo mercedem; ergo necessarium non est ad meritum, & augmentum gratiae opus intensivum, quam fit ipsa gratia in praefata parabola per talentum significata. Hoc idem non minus dilucidè significavit Paulus 2. ad Corinth. 8. qui parè seminis, parè & metet; & qui administrat semen feminis multiplicabit semen vestrum, & auget incrementa frugum iustitiae vestrae, promittit ergo augmentum iustitiae elemosinis, sive intento actu fiant, sive non, idè, sive parè, sive intensè terminetur, ut explicat Basilus in Psalm. 83. & August. serm. 7. de verbis Domini. Et tandem clarissimè quoque colligitur ex 1. Corinth. 3. ubi dicitur, unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, uniusquisque opus, quale sit, ignis probabit; si cuius opus manserit, mercedem accipiet, ac opera remissiora in iudicio probata manebunt, quia in eis nollus culpa defectus inveniatur, tunc enim aurum, argentum, & gemmae, ut ibi inquit, Apostolus, ergo suam accipient mercedem; Vbi rursus scitè ponderat Arriaga; Apostolorum dicere post aurum valere argentum; ergo opera minorè etiam post majora valent. Nec ritè possunt hac loca adè manifestè interpretari de illo praemio accidentali, quod primae sententiae Auctores comminiscuntur; nam in eis tempore agitur de praemio, quod Christus in Evangelio promittit, illud enim solum vocatur merces, & regnum.*

357 *Secundò adhuc evidentius probatur ex quibusdam locis Concilii Tridentini, etiam accurate ab eodem Arriaga ponderatis, in quibus, operibus omnibus bonis in Deo factis, seu ex gratia procedentibus tribuitur augmentum gratiae, & gloriae, tanquam praemium de condigno abique alia limitatione; ita praesertim docet sess. 6. can. 24. & 31. Quinimò cap. 16. enumerans conditiones ad meritum iustitiae, solum requirit, ut sic opus hominis iusti, & sit factum in Deo, hoc est, ex auxilio, & gratia, & asseritè determinat quocumque aliud ad meritum, & consecutionem praemii non requirit, dum inquit, nihil ipsi iustificationis amplius deesse credendum est, quo minus illis operibus, quae in Deo sunt facta, vitam aeternam vere praeruisse consensur; ergo qui dicit opera supernaturalia in gratia facta non esse meritoria, nisi sint intensiora, iam plus requirit, quam Concilium determinat, nam conceptis verbis inquit, non plus requirit. Et cap. eodem inquit; Neque verò illud omittendum est, quod non ex minoribus in lacris licetis usque adè tribuatur, ut qui uni ex minoribus suis potum aquae frigidae dederit promittit Christus non esse sua mercede cariturum; Quibus verbis maxime significatur, etiam levissima opera habitura mercedem gratiae, & gloriae; quae doctrina utique falsa esset, si omnia opera bona, quae propriam gratiam non excederent in intentione, mercede sua carerent. Neque hac loca explicari possunt de praemio accidentali, quod erit diversum pro diversis operibus; quia ibi Concilium expressè loquitur de merito gratiae, & vitae aeternae. Neque etiam dici potest non cariturum mercede sua, & praemio essentiali, quia meretur novo titulo eandem gratiam, & gloriam prius debitam. Quoniam Concilium cap. 10. docet, iustus renovari de die in diem, & crescere in accepta iustitia per bona opera; si autem novus gradus non daretur, auctoritate intuitu illorum, sed gradus iam alio titulo datus, & debitus, iustus non cresceret sanctitate, & opus illud mercede careret. Tum quia hac est fuga ridicula, & consista solum ad eludendum vim Scripturae, & Concilii; si enim iustus nihil esset novi accepturus, sed solum idem praemium ex novo titulo: responderet possit; satis mihi est unum, quia iam ob hunc unum, quam ob duos, beatus ero, ut inquit Arriaga.*

Tertio probatur ratione ducta ab inconvenienti; hinc 358 omni

enim sequeretur maiorem intentionem sanctitatis esse impedimentum merito oppositum; & in ordine ad merendum peioris esse conditionis hominem magis sanctum, & iustum quam alter minus sanctus, quod quam magnum sit absurdum, nemo est qui non videat, quin etenim dicat, ex eo precise, quod opus procedat ab homine magis sancto meritorium non esse, quod tamen meritorium sit procedens ab homine minus sancto, nisi meritorium sanctitatem habente remissorem illo eodem actu; Consequenter vero probatur, quia actus v. g. duo elicitus ab homine habente gratiam unum, meretur augmentum gratie, & glorie; elicitus vero ab homine habente gratiam, ut tria, vel quatuor, non meretur; ergo maior sanctitas est impedimentum merito, & peioris conditionis est in ordine ad merendum is, qui est magis sanctus, & iustus. Deinde probatur a simili, quia peccator novam meretur penam in Inferno per peccatum subsequens, licet sit minus gravis quoad intentionem; ergo e contra a simili, & a fortiori iustus multo magis meretur gloriam per opera subsequens, quamvis remissiora sint ipsa gratia: consequenter probatur, quia Deus est promptior ad premiandum quam ad puniendum. Tandem probatur ratione veluti a priori, quia homo habens habitum gratie intendit, ut lex, & eliciens actum unum, meritorium gratie, quibus duobus gradibus adiunctis habeat postea gratiam unum; sanè non debet disponere ad gratiam, ut octo, seu ad octo gradus gratie, sed tantum ad duo, quia sex priores tunc non primo dantur, sed conservantur, & gratia de novo adiuncta non dependet a dispositionibus in conservari, sed tantum in fieri; ergo in tali casu ad quatuor disponitur homo ad novam gratiam suscipiendam per actum meritorium, ut duo; Tunc quia perfectio actus meritorii non tam attendi debet ex intentione, quam ex obiecto, sine, & aliis circumstantiis, qua ratione actus charitatis minus intensus perfectior dici debet actu temperantibus, vel castitatis summe intensus, quia hoc actus excedit ex obiecto; ergo hac ratione si habens gratiam unum, potest mereri augmentum ejus per actum temperantia ut quatuor, poterit quoque mereri per actum charitatis, unum, & consequenter actus remissior augmentum gratie poterit mereri; His itaque validissimis rationibus, & clarissimis Scripturæ, & Conciliorum testimoniis oppugnata prima sententia, censetur committere hoc v. g. improbabilius, & a quibusdam erronea, ut videri potest apud Suarez, & Tannerum.

359. Dicendum secundo; augmentum gratie pro actibus remissis statim dari, sicut pro actibus intensis servata proportione. Hæc conclusio quamvis contraria videatur D. Thomæ, ac etiam quibusdam Scholasticis aliena a mente Scotti, hodie tamen communiter tenetur ob auctoritatem Concilii Tridentini, cap. 10. est ubi eam aperte insinuasse videtur, cum inquit, *justos renovari de die in diem, & crescere in accepta justitia per bona opera; quibus fides comparatur, & implentur præcepta; ubi etiam Concilium universale loquitur de omnibus operibus, quibus iusti communitur mandata observantes tenentes de virtute in virtutem, & hæc regulam non solum per intensiora habita gratie; irrationabiliter prioribus verbis Concilii quibusdam Thomistis, ac etiam a Patre nostro ad sola opera intensiora limitantur, & coarctantur; ergo si his actibus de die in diem crescit homo in accepta justitia profecto non post longum tempus, neque in alia vita, sed de die in diem conferuntur huiusmodi augmentum. Confirmatur, quia Concilium ibidem loquitur cum distinctione de augmento gratie, & glorie, nam gloriam docet non dari, nisi suo tempore, nempe in fine vite; de gratia vero nihil limitat, per quod palam indicat gradum statim concedi: quia ut est commune Iulianum axioma *exceptio firmat regulam* hoc est exceptio que in uno extremo ponitur, & non in altero, manifestè firmat regulam in contrarium.*

360. Deinde probatur ratione: quia si expectandum est tempus ad consequendum augmentum actibus remissioribus debitum; vel hoc erit illud, in quo intensior dispositio habebitur; ut D. Thomas significat in loc. cit. & hoc non, quia contingere potest quod homo talem dispositionem non eliciat, g. si parum post actum meritorium remissum de vita discederet, & tunc homo pro merito careret; Tunc quia si non infunditur gratia, nisi præsentis dispositioni adequata, ut universaliter Thomistæ affirmant; adhuc sequitur actum remissum præteritum, adveniente postea intensiori, non consequitur augmentum gratie sibi debitum; ratio est, quia gratia, inquitur ipsi, non conferatur actu remissio, nisi ad actum intensioris dispositio, at quando hæc ad est, tanta gratia tribuitur, quanta est dispositio iuxta hæc doctrinam, & non major; ergo jam non redditur gratia prioribus actibus remissis; quod si illis reddatur, jam gratia excedet illam dispositionem; necesse illi adequata, atque ita tunc etiam infunditur sine sufficienti dispositione; ergo etiam eodem modo, potuit antea infundi non obstante defectu ejus dispositionis. Vel differret hoc augmentum gratie actibus remissis debitum ad finem vite; seu initans mortis, & præterquam quod nulla apparet

necessitas talis dilationis; etiam contingere potest, quod neque in eo instanti haberetur sufficiens, ac intensior dispositio, præsertim ob angustias mortis ultimi rationis, ut plurimum absorberent; Tum quia plures damnantur, qui aliquando iusti fuerunt, & operam fecerunt remissa in ratione meriti, & tamen in fine vite, vel in instanti mortis augmentum gratie illis debitum non recipiunt, alioquin non damnarentur; ergo divinatoria opinio est huius augmenti dilatio ad instantis mortis, & sine ullo fundamento.

Vel tandem differret hoc augmentum post finem vite, seu ad principium glorie, ut illi dicebant, in primo beatus dicitur instanti, in quo homo ad illud disponitur; & neque id rectè dicitur, quia actus charitatis, quo homo se posuit in patria dispone, a visione beata procedit, ac beatitudinem supponit; unde cum iam sit in termino, jam non movetur ad maiorem gratiam, alias æquæ posset ad maiorem dispositionem beatitudinem; & ad illius augmentum, quare jam esset adhuc in via, & non in termino. Tum quia id manifestè contradicit Concilio jam allegato docenti, hominem in hac vita crescere de die in diem per bona opera in sanctitate, & iustitia; ergo non debet hoc augmentum ad aliam vitam differri. Hæc ratione convicti sententiam nonnulli Thomistæ hoc augmentum actibus remissis debitum statim dari; addunt tamen tunc gratiam non infundi, vel augeri in esse qualitatis; sed in esse gratie, sed acceptationis ad gloriam modo jam explicato n. 339. ita Scoto, Zuzel, Moyses, & alii. Verum hæc est meta soga ad eludendum augmentum inuenta; nam gratia secundum suam entitatem physicam, & plebitudinem, ac per sui inherentiam causam eam amittit, & acceptationem ad gloriam, ut Scotus docet i. dist. 17. q. 2. s. ad solutionem huius questionis in GG. quare si physice non infunditur de præsentis, non potest facere hominem iustiorum, & Deo gratiore de præsentis, est postea in fine vite; vel in principio glorie hunc prætereritum. Tum quia etiam de incremento gratie in esse qualitatis recurrit ex integro totum augmentum iam factum, ut discurrenti patebit.

Tandem probatur ratione veluti a priori; quia meriti non concurrunt ad gratiam, ut dispositio physica, led moralis; unde per Sacramenta ex opere operato cum remississima attritione producit, & quidem statim; quia non debet in hoc requiri alia dispositio quam moralis in ratione veluti, & meriti; & in hoc tantum causalitatis genere comparatur actus meritorius ad gratiam, & gloriam, ergo impletur actus remissus meritorius sui proportionati augmenti, est sufficiens ad illud dispositio; neque est alia intensior dispositio expectanda. Tam quia, ut arguitur ex prima conclusione n. 338. iustus habens habitum gratie intendit, ut lex, & actum eliciens, ut duo, meritorium gratie, ut duo, non debet disponere ad gratiam unum octo, sed tantum ad duos gradus; ut ibi probatur est: ergo actus ille remissus sufficiens est dispositio pro tali augmento gratie, ut duo, nec necessaria est dispositio per actum intensiorum.

Quæres, cur in præcedenti questione de meritorio tevi-
vilencia loquentes diximus n. 340. parum referret quod illam talem restitutionem gratie meritis præcedentibus fieri in ipso justificationis instanti, vel postea in fine vite, vel principio glorie; hic autem agentes de gratie augmento actibus remissis debito, dicimus statim reddi debere, nec ulterius differendum, videtur enim esse eadem ratio hic, & ibi. Respondeo licet quædam plures Scholasticæ eodem modo loquantur hic, & ibi, ex paritate rationis; longè tamen dispar est ratio, si res intimius penetretur; primo quia, ut ibi insinuat n. 341. in eo casu de meritorio tevilencia, supponitur: jam Deus dedisset augmentum gratie, quod meruit homo, unde si postea eam per peccatum amittit, non tenetur ex iustitia statim eam restituere in sequenti justificatione; led potest eam ulterius rationabiliter differre vel in penam lapsus, vel ex merito suo beneplacito; at in præsentis casu de actibus remissis, quando iustus primo operatur, etiam remissus, non videtur rationabiliter negari posse præmium correspondens pro illo eodem instanti, cum nunquam datum fuerit; unde aliud est loqui de gratia, quæ per se infunditur vi justificationis, ac dispositionis præsentis; & aliud est loqui de gratia præcedentibus meritis restituenda, ut dictum est n. 344. in fine; Tunc quia ut ibi dictum est nulla evidenti ratione, vel auctoritate cogitur ad firmam asserendum, quod noviter justificato statim restituatur gratia præcedentibus meritis debita, vel postea; ideoque utrumque probabiliter defendi potest; at quod iusto etiam operanti remissis statim conferatur novum gratie augmentum tali operi correspondens; neque evidenter deducitur ex Tridentino jam allegato; sed etiam efficacissimis sanctorum rationibus, ut constat ex probatione 2. cond. & ideo negatur omnino paritas.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Obiectiones solute.

364. IN oppositum Primò obicitur contra primam conclusionem probando absolute actus remissos non esse meritorios, neque premiandos; nam in quibusdam Scripturæ locis reprehenduntur qui tepide, & remissè operantur; Apoc. 1. reprehenditur quidam Episcopus Ephesus eo quod charitatem primam hoc est antiquum fervorem in operando deservisset; & Math. 25. ponitur exemplum servi negligentis, qui non fecerat lucrum ex talento accepto. Et est commune proloquium apud Patres in via Dei non progredi est regredi, sed per opera remissa non procedimur, ergo regredimur, & non meremur. Denique solus ille dignus est donis accipiendis qui bene utitur acceptis; sed qui habens habitum charitatis inrenum remissè operatur, non bene utitur habitui accepto, cum ipsius actus non proportionentur intentioni habitus: ergo per tales actus non meretur charitatis, & gratie augmentum.

365. Respondeo hæc, & similia loca plus probare, quam Adversarii velint: sic enim intellecta nedum probant remissè operantem non vae mercede carere, sed præterea esse ream novæ culpæ, & poenæ; per tepidos ergo loc. cit. intelliguntur illi, qui cessant a virtutis exercitio, vel minus frequentem ei vacant, vel studiosè operando desunt in aliqua circumstantia, unde ibid. Apoc. 5. reprehenditur alter quidam Sardicenses Episcopus, eo quod non faceret opera plena, hoc est cum omnibus circumstantiis, quarum una tantum deficiente illa remanent opera non plena; quod si contentandus, tepidos quoque esse dicendos remissos operantes, non secundum totam gratiam, quam habent, & hoc etiam ibidem reprehendi, non adhuc incrementum consequitur; quia adhuc dicemus n. ex eo reprehendi, quod actus remissus sit malus, vel non præmiandus; sed ex eo quod omittit intensus agere, cum quo adhuc stare poteret, quod propter actus remissos præmiarentur; ac etiam ex eo quod cum ex parte le bene gerant, tamen ex alia parte deficient omittentes aliquid que his operibus, que facere possunt, ac tenentur. Ad locum Math. dicendum per servum negligentem intelligi, qui nihil omnino operatur est, sed abscondit pecuniam Domini sui omnino otioso, ut ex iplo contextu colligitur; imò ex illo eodem loco n. 356. oppositum efficaciter deduximus. Ad communiæ Patrum axioma, eo concessio negatur sublimptum, nempe remissè operantes non progredi in via virtutis, sed regredi, nam progrediuntur & ipsi, licet non adtendunt.

366. Dices, actus remissus potius conducit ad destructionem suorum habituum, quam ad illorum incrementum; ergo remissè operantes non progrediuntur ullo modo, led regrediuntur. Negatur assumptum, quia entitas positiva actus remissus secundum se non opponitur cum habitu, ideoque neque ad illius corruptionem conducere potest. Dices, illud secundum se non opponatur, opponitur tamen ratione carentis intentionis quam habet annexam. Respondeo quamvis carentia intentionis conducit ad remissionem habitus, æquæ tamen qui est remissus ad eam conducere non potest; carentia vero intentionis licet sit cum actu connexa, distinguitur tamen, ab actu, qui est remissus, & utique maior illa esset, si hic actus non fuisset elicitus. Ad ultimum, quod est Morandi argumentum, negatur minor, non enim qui inadæquatè utitur habitu gratie, eo ipso non bene utitur illo, quia nullum est debitum semper operandi secundum totam gratiam, & habitu accepto semper adæquatè uti; ratio est, quia non operari secundum totam vim ejus, & inclinationem, sed secundum aliquam partem tantum, dicitur aliquid positivum, quod in se est bonum, & honestum, & quantum ex se meritorium; illud autem negativum non vitiat hoc positivum, quia non adest debitum, ut dixi, utendi semper adæquatè habitu gratie.

367. Secundo obicitur, habitus acquisitus non augetur per actus remissos; ergo idem dicendum cum proportione de augmento habituum inferiorum, licet non augetur, nisi propter meritum actuum intensiorum. Respondeo quicquid sit de augmento habituum inferiorum, de quo dictum est in libris de Anima, negando consequentiam, non enim est eadem ratio de illis, & istis; nam habitus acquisiti augetur per actus efficienter, ac proinde actus requirunt intensiores, & proportionate siquidem minoris virtutis actio prodire non potest; habitus vero infusus augetur nostris actibus meritorio solum, & moraliter; quia meritum non causat physicè effectum suum, sed moraliter, quatenus est motivum, ob effectum alia causa, nempe Deus, producti effectum, quem merito autem ita admodum observanda proportio inter causam moralem, & suam effectum, sicut observatur inter physicam, & suam; ita passim Recentes occurrunt huius argumenti, quod est præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum, ac etiam ex nostris Poncius, & Hiribarnes, ac Vulpes loc. cit.

Sed instat Faber; saltem hinc deduci, tale augmentum non statim dari producto actu remissio; ut Deus servet proportionem, quæ naturaliter contingit in augmento habituum acquiritorum; hic enim modus augendi habitus supernaturales erit connaturalior naturis reum. Sed neganda est etiam hæc consequentia, quia, ut diximus, longè diversæ est ratio augmenti habitus acquisiti, & infusi; nec currit omnimoda proportio inter causam moralem, & physicam in ordine ad suos effectus producidos; nam actus morales effectivè augent habitum acquiritorum, atque ideo illum supra suam intentionem augere nequeunt; actus supernaturales hoc modo non efficiunt habitus infusos, sed solum moraliter eorum infusionem ad Deo merentur; & ideo neque tenetur Deus, etiam ut connaturaliter agere dicatur, talem servare proportionem; Quare cum actus remissus habeat valorem secundum se in ratione meriti ad augmentum habitus gratie sibi proportionatum; dici debet statim dari tale augmentum, cum nulla appareat necessitas dilationis ejus usque ad finem vite, ut supra probatum est. Ratio autem disparitatis inter causam physicam, & moralem est, quia causa physica tendit ad assimilandum sibi passum formaliter, vel virtualiter; at meritum non tendit nisi ad deperendum sibi personam, cui servit, & ab ea præmium novum obtinendum, in quo nihil de assimilatione intervenit; quam doctrinam latè profertur Vulpes art. 6. cit. & ait esse Doctoris in Reportatis i. dist. 17. q. 7. ubi re vera non obscure illam indicavit.

Hoc totum dixi supposita opinione satis communi, quod habitus naturales non intenduntur per actus remissos; alioquin dist. 3. de anima quæ 4. jam tradidi, habitus etiam acquisitos intendi per quemlibet actum etiam remissorem in virtute activa, & in gradu; quam dixi esse Scoti doctrinam i. dist. 17. q. 3. RR. arguendo contra Gostredum in secunda ratione, & sequuntur Recentes quos plures præsertim vero Arriaga in Philosophia, quod hic se remittit in huius argumenti solutione; Et quo adhuc magis confirmatur, quod supradictum est, Doctorem in 4. dist. 21. q. 2. quando obicit dist. augmentum gratie meritis remissis debitum usque ad instantis mortis reservari, non tam esse ex propria sententia locutum, quam ex suppositione opinionis D. Thom. cum jam in i. dist. 17. q. 3. ex propria mente docuisset in universum quemlibet actum remissum augere habitum intentionem. Cui etiam accedit, quod dist. 2. cit. de anima quæ 4. in fine Doctorem in 4. loc. cit. proprie locutum esse de gratia præcedentibus meritis iam per peccatum mortificatis, & postea per penitentiam redivivis restituenda; inquit opus non esse asserere, quod statim restituatur in ipso justificationis instanti, quia tunc secundum præsentis dispositionem in deperendo peccatum commissum inrensus; vel remissè datur sibi major, vel minor gratia; non autem asserit actum remissum non augere gratiam; aliud autem est loqui de gratia, quæ per se infunditur ex vi justificationis, ac dispositionis præsentis; aliud vero loqui de gratia meritis præcedentibus redivivis restituenda; hæc enim utique opus non est asserere, quod statim restituatur, & augetur, in ipso justificationis instanti, quia utrumque probabiliter asseri potest: illam vero ad asserivè dicendam est augeri in illo eodem instanti, tum ob rationem urgentem, tum ob testimonium Tridentini adductum, ut antea notavi n. 363.

Tertio obicitur; tale augmentum gratie saltem non dari statim ad positionem cujuslibet actus remissus meritorii; si enim quotidie per bona opera meritoria consequeretur homo incrementum habitus gratie in hac vita; seret proculdubio intensissimus habitus gratie præsertim in religiosis hominibus quibus frequens est habere huiusmodi actus; unde & in quibusdam quondam facilitatè in bene operando experiretur, & ad illi eliciendos actus charitatis, atqui nemo quantumvis iustus hanc intentionem habitus charitatis in se experitur; ergo non de bemus asserere omnium actum meritorio statim, augeri. Respondeo non experiri eam facilitatem; quia habitus supernaturalis non juvat ad facilitatem, sed ad substantiam actus; in hoc enim differt præteritus habitus supernaturalis, qualis est charitas, à naturali, ut notat Doctor 4. dist. 6. quæ 10. quod hic datur solam ad se agendum, id est facilius, & intensius; at ille datur ad simpliciter agendum, id est, supernaturaliter, quatenus est principium, quo simpliciter possumus in actionem supernaturalem, & potentias nostras constituit in actu primo supernaturali ad actiones supernaturales exercendas; & hinc est, quod experitur in se proprio intentionem habitus gratie, sicut experitur habitus acquisiti intentionem ex eo, quod experitur in se in maiorem propinquitatem, & delectationem in operando; idem Scotus docet 7. dist. 17. quæ 2. s. ad solutionem. Alioquin argumentum contra Adversarios retorqueti potest, quod deberet iustus in se experiri augmentum, & intentionem habituum inferiorum, quando elicit actus intensiores, & quando Sacramenta frequentat, quibus etiam consequitur novum incrementum gratie, & virtutum; sicut ergo

In his casibus non percipit in se talem inensationem charitatis; ita mirum non est, si eam non apprehendit, dum frequenter elicit actus remissiores, quamvis verè tunc etiam charitas augetur; Adhuc tamen negandum non videtur, justum hominem, qui frequenter bene operatur, majorem in dies facilitatem experiri ad observanda divina mandata, & bene operandum; non quidem ex augmento habitum infusorum in voluntate, sed ex adjuncto exercitio habitum acquiritorum, sive etiam ex parte intellectus, si multiplicentur rationes, quæ efficacius movent ad operandum, ut Turrianus advertit loc. cit.

371. Quarto obijciunt, hinc sequi gratiam excedere quodam modo in infinitum, maxime in iustis, qui diu in accepta iustitia vivunt; habent enim frequentissimos actus, quod si per quemlibet augetur gratia statim, secundum totam latitudinem actus, præmium excederet incredibiliter. Respondetur si augmentum quid valerit absolute probare actus remissos non esse augmenti gratiæ, & gloriæ meritorios, quia sive tale augmentum datur statim, sive postea, effectus in eadem magna, & incredibili copia; dicendum tamen hoc nedum non esse inconveniens, sed potius magnum Dei favorem fundatum in ipso operis valore et obviens ex dignitate gratiæ justificationis; Imò hoc, quod adversarij ex nostra sententia inferunt pro absurdo, scilicet, fore, ut nostra gratia, & præmium in infinitum quodammodo excederet, hoc ipsum (inquam) adducitur ad SS. Patribus pro nostra consolatione, ut avidiores fieri nos bene operandum in epistola ad quosdam Del Confessores inquit *tot vestra sunt laudes, quot dies quot mensium curricula, tot incrementa meritorum*, sentit ergo ex diuturnitate operationis semper inquit Christus hominem in Martii, post mentum his verbis *sicut est merces geminum, & lacrimarum, considera, quanta sit retributio conferenda*. Neque hoc ullum est inconveniens, nam gratia potest in infinitum augeri, & Deus potuit homines ad excellentissimos gradus gloriæ præordinare, & dare unicuique auxilia congrua ad efficiendos actus illi termino proportionatos, ut notat Suarez loc. cit.

372. Quinto obijciunt, hinc sequi posse fieri per multiplicationem actuum, ut quis remississime operans, si tamen per quadraginta, vel quinquaginta annos vivat, adæquet, ac etiam superet gratiam alterius, qui per annum intensissime operans est, etiam si martyrio ea opera cumularit, quod sine dubio absurdum est, quia inde daretur occasio remissæ, ac tepidæ operandi.

Respondetur, hoc pariter argumentum absolute probare actus remissos nullum mereri gratiæ augmentum, nam sive statim tale augmentum conferatur, sive non, semper sequitur illatum illud, quod pro absurdo inducitur; itaque ad argumentum dico, quod ceteris paribus verum est unum actum intentionis magis esse meritorium pluribus remissis, etiam si contingat, numerum meritorum æqualem esse in pluribus illis actibus remissis; simul sumptis, ac in uno intento; & ratio est, quia difficultus est operari simul, & semel unum actum intentionis, & perfectum, quam paulatim plures remissos, ac imperfectos; unde hæc ratio operum plurium annorum, potest exacta unius anni diligentia compensari, & expleri juxta illud Sap. 4. *Consuamari in brevi explevit tempora multa*. Nihilominus adhuc concedendum est, ut notat Suarez cit. posse e contrario longitudine temporis diligentiam parvi temporis compensari, & per multitudinem, & replicationem actuum remissorum æquari præmium, & meritum cujuscumque actus intensioris, & plurimum si cetera sint imparia; si nimirum proportione servata diuturnitas temporis in exercendis actibus remissis longè superet parvitatem temporis in actuum intentionum exercitio consummatam; sicut enim major intentio vincere potest multitudinem actuum, ita e contra tanta potest esse multitudo remissorum actuum, ut æquet, vel superet aliorum intentionem, nam præsertim in estimatione morali multitudo actuum æquivalere intensiori. Dices, Scotum in Reportatis 4. dist. 22. quæst. 1. asserere, quod paucioribus actibus meritorijs valde intensis plus correspondet de præmio, quam multis remissis. Respondetur Doctorem ibi loqui ceteris paribus, ut patet ex ipso contextu ubi expressè hæc clausulam apponit: *si quin ceteris imparibus id est negandum, nam tanta potest esse multitudo, ut dicam, actuum remissorum, ut, nedum adæquet, sed etiam superet intentionem aliorum*. Neque hinc sequitur dari hominibus occasionem remissè operandi; quamvis enim possit quis modo declarato per multiplicationem actuum remissorum ad gradum sanctitatis pervenire, quem aliter brevi tempore per actus intensos obtinuit: nunquam tamen poterit facturam compensare, quam facit longo tempore remissè operando; cum potius sit multo majus præmium, imò duplo majus mereri toto illo tempore operando intensè.

Quibusdam alii occurrunt argumentis.

Sexto obijciunt, quia alias ex duratione, & continuatione actus cresceret meritum, atque ad id in infinitum proper infinita temporis instantia, quia in quolibet instanti actus est meritorius. Respondetur argumentum pariter eandem habere difficultatem sive præmium actuum remissorum datur statim, sive quolibet alio tempore, ac in alia vita; & sive illud meritum sit præmij essentialis; sive est etiam eadem difficultas de actibus intensis, quomodo sint meritorij secundum totam eorum durationem: de quo fufè agunt Auctores tractando de conditionibus, quibus meritum augetur: breviter tamen hæc difficultas resolvenda est ex dictis in Physica. Diss. de compositione continui, quod quomodo dicimus actum sive remissum, sive intentionem esse meritorium, hoc non est ita intelligendum, ut unicuique instanti durationis illius, loquendo de continuatione, correspondeat novus gradus præmij: sic enim augmentum vim haberet, sed tantum quod correspondeat pro qualibet parte nova durationis, unde sicut tota duratio est finita, sic etiam pariter præmium illi correspondens. Dices, loquendo de prima contritione, per quam homo ex iniustis fit justus: primo instanti instantio illius correspondet determinatus gradus gratiæ, qui quamvis non sit præmium, tamen gradus gloriæ illi correspondens est præmium: ergo sic pariter dicendum erit de ceteris instantibus continuationis: Respondetur concessio antecedente negando consequentiam; quia aliud est loqui de primo instanti instantio actus meritorij; & aliud est loqui de ceteris instantibus continuationis: quia in primo instanti instantio actus ille ponitur primò extra causas, ac proinde pro illo eodem instanti est meritorius, & correspondet illi præmium; at reliqua instantia post primum nullam addunt durationem, sed sola indivisibilia durationem continuant, & ideo non addunt distinctum meritum, nec eis correspondet distinctum præmium; quare hæc non citè inferitur meritum esse infinitum; & quamvis enim homo instanti, quo actus incipit esse meritorius, præmium correspondeat, tamen pro reliquis instantibus continuationis non correspondet novum præmium, sed aliquod indivisibile continuationum quantum ad intentionem; & in hoc consistit summa ratio difficultatis huius, tanta quanta est, de qua disputantes Responsores tot paginas implent, cum tamen non magis viget in hæc materia, quam in aliis, ut satis constat ex tractatu de Continuo in Physicis, & ex dictis superius dist. 3. num. 210. ubi eandem tetigi difficultatem.

Septimo arguitur, quia alias pariter omnia merita per peccatum mortificata reviviscunt quoad æqualem, & præstanteum effectum, & ita semper peccator resurgens in majori gratia; quod etiam falsum, & absurdum existimatur, quia tunc melioris conditionis esset ille, qui peccavit, & penitentiam egit, quam ille qui nunquam peccavit.

Respondetur primò negando pariter, ut enim constat ex dictis num. 363. aliud est loqui de augmento gratiæ, quod per se infunditur ex vi justificationis, & dispositionis præteritis, de qua in hac quaestione est sermo, & aliud est loqui de meritorio reviviscencia, & gratia illi rediit in restituenda, hæc enim utique opus non est asserere, quod statim restituatur, ut constat ex dictis nu. 340. & 341. illam verò utique. Deinde ad pariter concessa, adhuc illud absurdum, si tale est, sequeretur admittendo meritorium reviviscencia, quoad totam gloriam ipsi antea debitam, etiam si negaretur quoad totam gratiam, quæ per peccatum amissa fuerat, statim reddendam; quamvis enim peccator non semper resurgens in eodem justificationis instanti ad maiorem gratiam, semper tamen resurgens ad maiorem gloriam, ac etiam ad maiorem gratiam saltem postea reddendam vel in fine vite, vel in principio gloriæ, & sic pariter sequeretur melioris esse conditionis illum, qui peccavit, & penitentiam egit quam ille, qui nunquam peccavit.

Sed sicut hoc absurdum non sequitur ponendo peccatorem resurgere semper ad maiorem gloriam, ut fert communis opinio ob rationes allatas n. 211. ita pariter ob eandem negandum est illud absurdum sequi, etiam si admittamus peccatorem resurgere semper ad maiorem gratiam in eodem quoque justificationis instanti: Et quidem adhuc hoc admisso, melioris esse conditionis innocentem, quæ penitentem, ex aliis etiam capitibus ostenditur præter ibi assignata, qui enim peccavit æternæ damnationi sub obnoxio, ac etiam post justificationem regulariter manet cum aliquo pene temporarie reata, quæ incommoda non incurrit innocens; & rursus qui peccavit facilius est ad iterum peccandum, quam qui stetit, tum propter naturalem inclinationem, ac habitus pravos in statu peccati acquisito; tum quia licet non puniat Deus peccatum remissam permissione alterius peccati; adhuc tamen uberiora auxilia tribuit innocentibus, quam aliis lapsis, & postea penitentibus, illi namque per bona opera

opera in statu iustitiæ elicit merentur ab aliis præservari peccata: quod meritum non habet noviter conversus in suo conversibilis initio; Unde ut inquit Ouyed. controv. 6. punct. 3. in omnibus, quæ non pertinent ad gratiam substantialem, seu habitualem longè melioris conditionis est innocens, quam penitens, & quamvis in gratia ipsa habituali sic excederet illum, & in majori gratia relateret, utique augmentum istud non habet, quia peccavit, fed quia penitentiam fecit, & ante lapsum plura merita habuit, quàm alter, adeo ut nunquam sit verum dicere, quod aliquod commodum ex suo peccato reportaverit; Imò neque ratione penitentis adhuc, inquit Ouyed, habet maiorem gratiam, quàm haberet, si non peccasset supposita occasione peccandi; quia si ex eodem motivo, quo post lapsum penitit, antea peccato restitit, maiorem gratiam reportasset per actum resistendi cæteris paribus, quàm postea reportet per actum penitendi.

376. Octavo arguitur à simili; in instanti justificationi, quando homo primò iustificatur, servatur proportio æqualitatis inter intentionem actus, & habitum, quia Deus non infundit habitum gratiæ, nisi juxta dispositionem operantis ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 7. ergo credendum est eandem quoque servare proportionem in augmento gratiæ præstanti, ut nimirum augmentum gratiæ non sequatur, nisi ex actu intensiori; sic enim in fine, augmenti habitus erit æqualis intentionis cum actu; contra verò, si habitus augetur ex actibus remissioribus, in fine incrementi habitus quoad intentionem superaret actum.

Respondetur in utroque casu servari proportionem inter ipsum actum, & gratiam absolute consideratam: sicut enim in prima justificatione infunditur gratia commensurata tantum merito de congruo abque alio respectu: ita pariter in augmento gratiæ hæc infunditur commensurata tantum merito de condigno abque respectu ad habitum, atenta tantum dignitate, & perfectione actus meritorij, ut dictum est n. 358. Cum verò infundatur, hoc modo non servari proportionem, quia in fine justificationis gratia est æqualis dispositioni quoad intentionem; in fine verò incrementi habitus in intentione superaret actum; Dico ita nullum esse absurdum, imò necessarium, nam in fine incrementi non solum habetur gratia, quæ respondet præteriti merito, sed etiam quæ respondet præteritis; at in fine justificationis nulla alia gratia habetur, nisi quæ respondet præteriti dispositioni, ut etiam notavit Amicus dist. 35. c. 1. num. 22. ubi proinde ait in hoc proportionem servari non debere, sicut enim inter unicum actum dispositivum, & plures meritorios non est æqualis proportio, ita nec inter gratiam in fine augmenti respondentem pluribus actibus meritorijs, præteritum unicum, & præteritis; & gratiam in fine justificationis respondentem unico tantum actui dispositivo, erit æqualis proportio.

377. Postremo arguit Faber dist. 45. cit. in fin. ex Scoto in Reportatis 4. dist. 22. quæst. 1. ubi docet, Deum non retribuere in hac vita pro omnibus bonis actibus, sed reservare ad augmentum gloriæ post vitam; unde inquit se credere, Deum non dare tantam charitatem excellentibus in hac vita, sicut post, nisi animæ Christi, & B. Virginis, quibus ait se credere dedisse tantam charitatem in via, sicut nunc habent in Patria; in aliis verò (subdit) ex multis actibus bonis potest aliquando sequi aliquis gradus major in charitate; & aliquando non sequitur major, nisi post mortem. Confirmatur nam licet Deus operantibus opera meritoria auget gratiam communiter, non tamen sequitur, quod hoc semper sit verum, ita ut quicumque viator iustus ad unguem habeat totam illam intentionem gratiæ, & charitatis, quam habebit in Patria, hoc enim videtur privilegium speciale animæ Christi, & B. Virginis, & consonat dispositioni ordinariæ legis divine, quæ non in hac vita facit distributionem meritorum, sed in alia vita; sicut ergo in alia vita retribuit gloriam ad æqualitatem meritorum, ita etiam tunc retribuit gratiam ad æqualitatem; unde nullum detrimentum patitur iustus merens ex hac parte: quia iam meritum manet in acceptatione divina, & suo tempore præmium habebit.

Respondetur, Scotum ibi esse locutum juxta aliam opinionem 378 temporis probabilem, quæ tamen modò non in eo probabilis gradu per manet ob definitiones allatas Conc. Trid. juxta quam cum præmium actus remissis non datur statim, sed in ingressu beatitudinis intensiori utique esset habitus gratiæ in patria; quàm in via; a secundum opinionem modò communem, quod præmium actus remissis statim datur, non restaret augmentum aliquod gratiæ, vel charitatis recipiendum per modum præmij in beatitudine. Verum cum hoc adhuc defendi potest, Deum non dare tantam charitatem excellentibus in hac vita, sicut post, nisi animæ Christi Domini, & B. Virginis; ac istorum dumtaxat esse privilegium speciale ob eorum eminentiam sanctitatem, quod tantam charitatem habuerint in via sicut habent modò in patria. Et ratio est, quia præter gratiam, quam iusti merentur de condigno per bona eorum opera, datur etiam aliud genus gratiæ ex multorum Scholasticorum sententia, quam Deus iustus elargitur ultra præmium condignum, ut testatur Turrianus opp. 8. dist. 2. dub. 16. & hæc probabile valde est solum communicationem esse in hac vita animæ Christi, & B. Virginis, cæteris verò viatoribus non communicari, nisi post beatam vitam in ipso beatitudinis ingressu; de veritate tamen illius opinionis alibi erit sermo lib. 3. dist. de merito n. 30.

Ad Confirmationem, in hoc sensu concedendum est non quemcumque viatorem habere in hac vita totam illam gratiam intentionem ad unguem, quam habebit in patria, & hoc solum fuisse speciale privilegium Christi Domini, & ejus Sanctissimæ Genitricis, non tamen est concedendum de augmento gratiæ per bona opera iustorum etiam remissa pro merito. Et cum addebat Deum in hac vita non facere retributionem meritorum, sed in alia vita, & ideo sicut in alia retribuit gloriam ad æqualitatem meritorum, ita & gratiam, Dico cum Bafol. loc. cit. 5. quantum ad secundum articulum circa finem, quod non est simile: quia gloria non est viatoris composibilis pro statu vite, sicut augmentum gratiæ pro quando merebatur; nec apparet aliquod impedimentum, quare differri debeat in aliam vitam. Idem quia Trid. c. 10. cit. ut dictum est n. 359. cum distinctione loquitur de augmento gratiæ, & gloriæ; & gloriæ dicit non dari, nisi loco tempore, nempe in alia vita; at de augmento gratiæ bonis operibus à iustis pro merito nihil limitat, per quod satis expressè indicat hoc augmentum statim in hac vita concedi; Cum tandem addebat, nullum detrimentum pati iustum meritum ex hac parte, quia iam meritum manet in acceptatione divina, & suo tempore præmium habebit; Negatur consequentia, quia gratia habitualis datur nobis, ut per opera eius impulsu, & inclinatione elicit quotidie proficium, & cunctes de virtute in virtutem, ut ait Concilium, & merita cum molem; hoc autem emolumentum nobis deceret, si augmentum gratiæ promeritum in hac vita non reciperemus, sed tantum in alia.

De augmento autem gratiæ, & charitatis in se, & de modo, quo fiat, tractant Seraphicus, & Sibilis Doctor t. dist. 17. & ad mentem utriusque breviter, ac dilucide Reverendissimus Pater Mag. Felix Gabrielius de Alculo Sacerpici Ordinis nostri nunc Genetilis Muniter emeritus in suo Tractatu de Fide, Spe, & Charitate nuper edito dist. 4. quæst. 7. & 8. quem cum primò mihi misisset, ut legerem, ac de eo iudicium ferrem, statim respondi, quod cuidam amico occasione consimiliculis Symmachus lib. 9. Epist. 101. *Velim credas, nihil tibi ex meo testimonio honoris accedere, nam est laudari à laudato viro, vetus dictum est, nostri tamen medicis non multum in fame tue claritudinem juvat, qui eam leget, cito brevem, planè dignoscet ex ungue Leonem; Alia verò quæ de Merito in se hic tractari solent, relictas in tertium Sententiarum librum, ubi de essentia, & conditionibus meriti in se Sententiarum tractare contulerunt occasione tractatus de Merito Christi Domini, quod nos quoque præstibus inherentes ordinari eisdem observato, utpote quem lectus est quoque noster subtilis Doctor.*